

dulcedinem dulcedinum : Quæ & illis Augustini affinia sunt verba , quibus de Deo, Eucharistiam instituyente , sic fidenter est alloquutus : Quum esset potentissimus , plus dare non potuit ; Quum esset ditissimus , plus dare non habuit ; Quum esset sapientissimus , plus dare nescivit . Quæ sane sufficere iudicamus , ut corda nostra ad amorem benignissimi Redemptoris adeo accendantur , ut in tanti Sacramenti , ab eo pro nobis amantissime instituti , cognitione comparanda impensissime desudemus . Ea enim amabilis mensura , qua cognoscemus ; Et si Sacramentum hoc , quia Amoris præcipue est , non aliter quam Amore quis digne profectur , opus est prius , si eum volumus amore profecti , ut & ipsum cognitione profectamur .

Ut ad nomina Sacramenti hujus deveniamus , non loquimur hic de nominibus periphraeticis , quibus in hujusmodi Sacramenti laudes Sabcti Patres excurrunt . Et quis hæc numerare , immo etiam poterit indicare ? Quum ferè omnes in illius commendationem plurimas , easque illustres , appellationes concedere conati sint ? Ignatius Martyr a nascentis Ecclesie exordio antiodum mortis , pharmacum immortalitatis appellavit ; Panem beatitudinis Origeres ; Eucharistiam medicam Tertullianus ; pheretrum mortalitatis Anphylochius junior ; Panem beatificantem Athanasius ; aternæ vitæ cibarium Chrylogus ; Alimoniam immortalitatis , & vitæ aternæ portionem Cyprianus ; Omnium novitatum novitatem Hieronymus ; Omnium officinam miraculorum Damascenus ; Ita ceteri quique Patres in eodem Sacramento commendando , atque extollendo convenientes , loquuti sunt . Nos autem ea tantum nomina perstringentes investigabimus , quæ ad institutum nostrum , & ad majorem dicendorum cognitionem conferre poterunt , adducemus ; Et hæc , quæ modo adduximus , ostendisse tantum , contenti sumus .

Primo igitur , hoc Sacramentum dicitur Eucharistia a verbo græco *Εὐχαριστήριον* , quod latine bonam gratiam significat ; vel a verbo græco *Εὐχαριστέω* , quod latine importat gratiarum actionem ; *Εὐ* enim sonat bene , & *χαρις* gratiam ; & *Εὐχαριστέω* idem est ac *gratias ago* . Porro bona gratia appellatur Sacramentum ,

hoc , vel quia Christum continet , qui vera gratia est , & gratiarum omnium fons ; vel quia significat vitam aternam , de qua scriptum est : *Gratia Dei vita aterna* . Gratiarum etiam actio dicitur , vel quia in ejus institutione , Christus gratias egit , Matthæi xv : *Accipiens panem fregit , ac gratias egit , dicens : Hoc est corpus meum* : vel quia in hujus sacramenti usu gratias Deo , propter illius in nos beneficia , agimus : Unde , Augustinus in epist. ad Dardanum : *Non sibi autem , in quo sacrificio dicatur , gratias agamus Domino Deo nostro* .

Secundo , dicitur Panis , vel ratione materia , ex qua conficitur : Unde Joannis 6 . *Panis , quem ego dabo , caro mea est* : Vel ratione specierum panis , quæ post consecrationem remanent , unde extrinsecus formam , & figuram panis exhibent ; quemadmodum Genesis 18 . & 19 . Angeli in humana specie apparentes homines dicuntur : Vel quia sicut panis corpus alit , ita Christus animam nutrit . Panis etiam fractio dicitur , quia in Scripturis , panem frangere idem est , ac panem comedere ; ut Actorum 2 . *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum , & communicatione fractionis panis , & orationibus* : Et Lucæ 24 . discipuli in Castellum Emmaus euntes , *cognoverunt Dominum in fractione panis* .

Tertio , vocatur , vel ratione significati corpus , & sanguis Christi : vel ratione significati simul , & signi , Sacramentum corporis , & sanguinis Christi : Primo modo eam vocavit Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 8 . *Caro corpore , & sanguine Christi vescitur , ut & anima de Deo saginetur* : Secundo modo eam dixit Augustinus lib. 1 . de peccatorum meritis , & remissione cap. 24 . *Quid aliud etiam , qui Sacramentum mensæ dominicæ vitam vocant , nisi quod dictum est , Ego sum panis vita ?*

Quarto , vel ratione loci , in quo celebratur , & conficitur , dicitur Sacramentum Altaris ; Ut Augustinus epist. 50 . Vel ratione suscipientium , dicitur Sacramentum fidelium , ut idem Augustinus serm. 2 . de verbis Apostoli cap. 1 . quia scilicet , & soli fideles sunt hunc percipiendi capaces ; & solis fidelibus antiquitus licebat audire , quæ de hoc sacramento dicebantur ; & quia demum hoc sacramento præcipue fidelium unitas perficitur , fides ostenditur .

Quin-